DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

6

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

HUGO MACPHERSON, A. M.

SCOTO-BRITANNUS,

Soc. Med. Edin.

NECNON

Soc. Nat. Studioſ.

NUPER

Praeſes Annuus.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCIV.

Viro integerrimo

JOANNI MACPHERSON,

EQUITI BARONETTO,

&c. &c.

Hoc opusculum,

Grati animi

Quam leve monumentum!

Sacrum esse

Voluit

Devinctissimus

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

Auct. HUGONE MACPHERSON.

FACIEM adeo variam et incertam prae se fert dyspepsia, ut vix in definitionis formam signa ejus omnia redigi possint. Cullenus noster, Nosologorum facile princeps, symptomata ejus praecipua et stabiliora verbis sequentibus protulit: "Anorexia, nausea, vomitus, in-"flatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gastrody-"nia, pauciora saltem vel plura horum simul

" concurrentia, plerumque cum alvo adſtricta, " et ſine alio vel ventriculi ipſius, vel aliarum " partium, morbo."

Eſt quidem dyſpepſia morbus omni regioni, ſexui, ac aetati communis. Primo ſtadio, adeſt ſolummodo ſenſus quidam ponderis et oppreſſionis circa ventriculi regionem, fugax initio, ſed frequens: Poſt paſtum apprime moleſtus, nec ulli cauſae ſpeciali tribuendus. Haud longo autem intervallo, ſequuntur ſigna graviora. Urgent ſordes acidae in ventriculo cum flatu. Eſt alvus aſtricta, nec valet, ut antea, exercitatio paululum aucta haec tollere mala; per hebdomada nunc vel etiam per menſes perſtant; et dolor ventriculi primo obſcurus, nunc vehementior, et cum torminibus inteſtinorum, quotidie vexat.

Valetudinem adverſam animadvertere incipiente aegro, nunc ingraveſcunt omnia ſigna. Appetitus plerumque langueſcit. Paſtum ſemper

inſequitur

insequitur nausea, nec raro alimenta cruda indigestaque protinus vomitu rejiciuntur. Haec comitantur ructus varii saporis. Alvi astrictio fere perpetua, ni forte diarrhoea, cum ventriculi et intestinorum dolore rodente, adsit.

Miserum fugit nunc somnus quoque. Dolori capitis, anxietati, et vertigini additur saepe tussis, sitis, praecipue mane, et spirandi difficultas. Sensus visus ac auditus nonnunquam depravantur; est etiam suffusio et dolor quasi internus oculorum, urgetque tinnitus aurium. Corpori ita laboranti accedit plerumque mentis affectio et nova series malorum. Est aegri animus dimissus, causis haud aequis facile perturbatus. A labore corporeo jam aversus, fugit nunc aeque mentis exercitationem, et qui olim intrepidus periculum timore plusquam muliebri fugit. Vix aut ne vix quidem mentis est longius compos. Evanescunt quotidie animi vis et robur, et facultates, quae hominem maxime distinguunt animalibus.

malibus. Eſt etiam habitus totus relaxatus, cutis, facies, lurida, totum corpus emaciatum. Simul forſan invadit febris hectica, vel anaſarca debilitate gaudentes, et, haud longius valente medicina, deſcendit lente ſed certis paſſibus ad tumulum aeger.

Talis eſt dyſpepſiae regularis hiſtoria. Dyſpepſiae, ſcilicet diu et gradatim creſcentis, et quaſi matureſcentis, lethalis tandem evaſurae. Horrenda quidam ſed rara omnino, et humano cum genere bene agitur, quod morbi tam frequentis raro occurrant exemplaria tam gravia. Concurrentibus paucis ex ſignis ſupra relatis praeſentem agnoſcimus morbum. Inde mirum in modum variat dyſpepſiae facies, prout horum quidvis prae caeteris valere datur. Cibi appetitus aliquando auctus vel immutatus eſt; atque ingeſtorum concoctio cum corporis nutritione, ſi modo ex aegroti pinguedine conjicere liceat, vix aliter ac integra valetudine peragitur.

tur. Ita ut ſenſus ingratus ventriculi magis ex nimia alimentorum quantitate, quam ex vi concoctionis diminuta, oriri videatur.

Signa autem dyſpepſiae diuturnae maxime characteriſtica ſunt illae mentis affectiones quae timore vano, ut et vanis imaginationibus, indicantur, praeſertim quandocunque de morbo, ſive morbi curatione, hallucinatur aegrotus. Sunt enim qui, ſana mente frui ſoliti, dyſpepſia correpti ſeſe ſub inflammatione phlegmonica graviſſime laborare crediderunt, atque cuti integrae nec quidem dolenti cataplaſmata emollientia indies ſedulo adhiberi curaverunt. Foeminae, quoque durae experientiae immemores, ſolito geſtationis tempore jam duplicato, ſolamen ex longis ſed infoecundis laboribus ex partu ſperaverunt.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Tam difficile eſt diagnoſin inter hunc morbum et hypochondriaſin reddere, ut non poſſimus quin dubitemus gravius ne ejuſdem morbi ſtadium an morbus ſit diverſus. Certe haud infrequenter iiſdem oriuntur cauſis, et iiſdem fere cedunt curationibus. Ventriculi affectiones nunquam non animum afficiunt, et, vice verſa, illius organi functiones omni mentis perturbatione affici videntur.

Inter ſigna diuturnae dyſpepſiae, illae animi affectiones ſunt quae vano timore, et doloribus indicantur imaginariis, et, ut nobis videtur, quo animus impreſſionibus durabilibus proclivior, eo citius ſupervenit ſtadium illud. Inde temperamentum ſanguineum, animo alacri magis affine, minus

minus frequenter quam temperamentum melancholicum appellatum, in hunc gradum dyſpepſiae cadit.

Sed, ſi Cullenum illuſtriſſ. ſequimur, et hypochondriaſin ut morbum a dyſpepſia valde diverſum tractamus; videtur certe adeſſe dyſpepſia, ubicunque animi dejectio et obſcuritas, ventriculi malis poſſint tribui, et quaſi ſymptomaticae ſint. Contra vero, ubi ſequitur animi pathemata, ventriculi dolor, et dyſpepſia, quaſi ſymptomatica eſt, putatur hypochondriaſin adeſſe.

Difficillimum certe nonnunquam eſt dyſpepſiam ſymptomaticam ab idiopathica diſtinguere. Arthriticis et dyſpepticis eadem eſt ventriculi affectio. Tam affinis ergo dyſpepſiae eſt podagra atonica, ut in diagnoſi formanda hiſtoriae cauſarum praediſponentium et malorum quibus olim laboravit aeger, pluſquam morbi faciei, fidendum eſt. Obſervandum eſt tamen, quod noſtro

noſtro tempore rariſſime invadit podagra foeminas, vel imberbes, dum, provecta aetate, Epicuri diſcipulos, quibus cutis aſpera et temperamentum phlegmaticum, aggredi gaudet. Sequitur quoque ſaepiſſime labem haereditariam podagra.

Dyſpepſia contra, ut ſupra diximus, omni aetate aeque inimica, nec tenerae puellae, nec robuſto juveni, nec etiam ſenectuti ipſi, parcit.

Eſt alter cui dyſpepſia ſaepe adjungitur morbus, hyſteria. Senſus vero globi, et muſculorum oeſophagi affectio, totius corporis convulſiones, univerſi ſyſtematis mobilitas, ex ſtatu ſyſtematis genitalis pendens, vix errare ſinant.

CAUSÆ REMOTÆ.

Temperamenta, ſanguinea et melancholica appellata, magis ſine dubio actioni cauſarum occaſionalium

casionalium praedisponentia saepissime et gravissime aggreditur dyspepsia. Sunt causae remotae quaecunque ventriculum, vel nimio stimulo, vel defectu soliti stimuli, debilitant. Cullen. illustr. divisit in causas quae ventriculum, aut immediate, aut per corpus universum, vel alias afficiunt partes.

Sub primo capite posita sunt,

Thea,
Caffea,
Nicotiana,
Liquores spirituosi,
Opium,
Amara,
Aromata,
Putrida,
Liquores callidi,
Nimia Venus,
Frequens vomitus,
Salivae rejectio.

Sub ſecundo,

Vita ſedentaria,

Animi pathemata,

Mentis applicatio,

Ebrietas frequens,

Temperies aëris frigida humiditate conjuncta. Sed quomodo harum ſingulae agant, quo ambitu dyſpepſiam inducant varia ingeſta, et multo magis, quo, animi ex pathematibus, tam ſubitas et revera praeternaturales mutationes ſubeat ventriculus, opportet confiteri haud nobis explicare datum eſſe.

CAUSA PROXIMA.

Plane demonſtraverunt Spallanzani et Stevens experimenta, eſſe fluidum, in ventriculo humano ſecretum, quo omnia ingeſta, antequam in duodenum tranſeant, et chylum forment, in chymum convertantur. Adjuvant manducatio et

ſaliva

ſaliva hunc proceſſum, qui a vi vitali non pendet, quoniam fit extra ventriculum. Docet celeb. Doctor G. Fordyce, eſſe ſucco gaſtrico poteſtatem ingeſta coagulandi, ut vidimus nonnunquam lac et ſerum coagulari, poſteaque certa actione inexplicabili ventriculi concoctionem perfici.

Sed hanc praetermittere theoriam, eſt nemo qui dubitet, ſuccum gaſtricum concoctioni pernecessarium eſſe. Ut vidimus ſupra, omnes cauſae dyſpepſiae remotae ventriculi totiuſque corporis debilitatem inducunt. Licet igitur concludere, his agentibus, ſuccum gaſtricum mutationes quoad quantitatem et qualitatem ſubire. Nec, ut profert recens auctor *, "magis videtur "ſecundum notitiam noſtram oeconomiae ani-"malis credere ventriculi debilitatem quantita-"tem ſucci gaſtrici potius quam qualitatem "ejus mutare." Nam, ſi analogice liceat ratiocinari,

* Vide ingenioſ. A. P. Wilſon, M. D. Diſſert. Inaugur. de Dyſpepſia, pag. 10.

cinari, et haud aliter de his arguere possumus, videbimus omnes fere alias secretiones mutationibus tam qualitate quam quantitate aeque obnoxias esse.

Lachrymae humanae, plerumque blandae et innoxiae, nonnunquam tam acridae fluunt, ut cursu ductus excoriant.

Mucus nasalis, qui fluidum est mere lubricans, sub frigoris actione rarus, et etiam acer evenit. Mammae lactis, et jecus fellis, naturam quotidie mutant. Urina nunc limpida, nunc opaca, fluit, subitque omnem varietatem quoad quantitatem; nec magis consentaneae sunt illae varietates, quas omnia fere organa secernentia inflammatione, et venenorum specificorum effectu laborantia, subeunt.

Surgit omnis secretio ex certa structura et actione vasorum. Si harum alterutra quovis modo

modo mutatur, ſequitur, ut cauſam effectus ſecretionis mutatio. Vix autem intelligere poſſumus ullius organi, et praecipue ventriculi, receptaculi communis ſed ſenſilis omnium quibus nunc fruimur ingeſtorum, conditionem quaſi immutabilem.

Nobis etiam videtur perfectae concoctioni pernecefſarium eſſe, ſtatum quem tonicum liceat nuncupare fibrarum muſcularium ventriculi. Huic, ut aliis corporis humani muſculis eſt, ſine dubio, data facultas ſeſe conditioni ſuae adaptandi. Sed, ſi ultra modum diſtenſus, aut aliter debilitatus ſit, in duodenum, ut in chylum vertantur ingeſta propellere nequit, quae nimis diu in ventriculo ſtagnantia chemice reſolvi poſſunt, aliter ac opportet, atque ita ad chylum efficiendum minus apta reddantur.

Proceſſus fermentationis acetoſae, vinoſae, aut putridae, certe concoctioni inimiciſſimus eſt; ideoque,

oque, valente ventriculo et ſucco gaſtrico, ſemper reprimitur. Occurrente autem remora in ventriculo, ſive ex ſchirroſitate aliave pylori obſtructione, ſive totius organi atonia, gignitur fermentatio; nec ſufficit ſuccus gaſtricus ſupprimere.

Nobis igitur videtur, dyſpepſiae proxima cauſa eſſe, vel diminuta praeternaturaliter ſucci gaſtrici ſecretio, vel hujus liquoris conditio, quoad qualitates vitioſa, ex atonia vaſorum ſecernentium, itidemque fibrarum muſcularium debilitate, pendentes.

PROGNOSIS.

Facilis et plerumque fauſtus eſt in dyſpepſia prognoſis, ſi modo veteres conſuetudines Æſculapio aegri immolant. Hoc dato, etiam ſenibus, quibus adſunt habitus firmus et ſtamina quaſi

vitae,

vitae, eſt nihil a morbo recente timendum. Juventuti et ſanguineo temperamento geſtatione et exercitio pluſquam medicina opus erit.

Contra vero, ſi Bacchi diu clienti, vel ſtudiis pervigiliiſque exhauſto, denique, ſi debilitati ſupervenerit dyſpepſia, gravius longe malum cautiorque quoad tempus prognoſis. Tales gaudet aggredi dyſpepſia, nec brevi demiſſurus eſt morbus, praeſertim ſi adſit aegro temperamentum melancholicum, ſuperſtitioſum, et haud recentiſſimus morbus.

Praegrande vero periculum, et infauſtiſſima prognoſis, quum cibi appetentia diu perdita, palleſcit aeger, vaneſcunt quotidie ſolida, et perpetuis agitatus timoribus deficit et corporis robur et animi vis. Si autem ſupradictis ſupervenient anaſarca, aliave aquae depoſitio praeternaturalis, pylori ſchirroſitas, tactu vel preſſione dignoſcenda, vel, quod occurrere vidimus, febris

hectica,

hectica, falli non possumus, actum est de aegro.

RATIO SYMPTOMATUM.

Nunc de symptomatibus in hoc morbo maxime pathognomonicis, pauca dicenda, et imprimis

Anorexia.—Quum cibi appetentia maxime ex succi gastrici in ventriculum actione oriri videtur, nemo est qui possit dubitare anorexiam ex hujus liquoris defectu, vel depravatione, ortum nonnunquam ducere. Inde inter constantiora dyspepsiae signa est anorexia, quamvis nonnullis exemplis est appetentia praeternaturaliter aucta. Nemo est qui nesciat ex sordibus in ventriculo anorexiam etiam oriri; et ex juvantibus apparet, aliquid atoniae qua fibrae motrices ventriculi afficiuntur tribuendum. Omnibus enim cognitum, quantum anorexia laborantes salitis et aliis gaudeant stimulantibus. Haec, si praebeantur,

beantur, ut alii cibis vefcuntur, fed vix appetitum poft aliquot dies fentiunt, fi negentur.

Naufea et *vomitus* gradu folummodo inter fe differunt, et ex fibrarum mufcularium ventriculi antiperiftaltico motu originem ducunt. Difficillimum et forte inutiliffimum foret hujus varietatis caufas fub certa capita comprehendere. Provocatur variis ingeftis etiam blandiffimis, nec ulli normae poteft horum actio tribui.

Inflatio eft nunc confideranda. Fermentationi tam amica funt ventriculi humani calor, humiditas, et ingeftorum varietas, ut multi putent hujufcemodi aliquid antequam cibis quibus vefcimur in chymum, et denique chylum reddantur, femper accidere.

Ex cel. Pringle et Macbride experimentis apparet, faliva tam copiofé cum ingeftis in ventriculum antequam defcendat mixta, maxime

adjuvari. Monſtravimus ſupra, eſſe ſuccum ſano ventriculo ſecretum, eidem proceſſui inimicum; exiſtente autem dyſpepſia, cum ventriculi major ſolito debilitas adeſt contentorum remora. Eſt etiam ſucci gaſtrici defectus vel depravatio. Oritur ergo nunc facile fermentatio, ubi vix et ne vix quidem ulla oriri debuit. Sequitur aëris extricatio, et inde de qua nunc tractamus inflatio.

Eructatio originem ducere videtur ex ventriculi quadam motione irregulari, ex aëris extricatione et forſan ab aëris irritatione pendente.

Ruminatio.—Partes alimentorum ſolidiores, aëris extricati immixtione inter fermentationem, leviores redditae, ad ventriculi orificium ſurgunt, ibique irritationem efficiunt motionemque inverſam inducunt. Inter aërem rejiciendi conatus, maſſae cibi per oeſophagum in os redduntur, iterum ventriculo reſtituendae.

Gaſtrodynia.

Gaſtrodynia.—Videtur hoc ſymptoma plerumque ſpaſmo fibrarum muſcularium gigni, et proverbialiter gignit atonia ſpaſmum. In hoc morbo, praeter ſpaſmum, gignit atonia remoram, acrimoniam ingeſtorum, indeque diſtenſionem et flatum; ita ut gaſtrodynia, ſpaſmi ex mera atonia plerumque proles, ab irritatione quoque ducat originem.

Alvus aſtricta.—Sequitur, neceſſarie, omnem ingeſtorum in ventriculo remoram, tarda inteſtinorum evacuatio. Talis etiam eſt inter ventriculum et canalem inteſtinum ſympathia, ut hujus atonia illa plerumque afficiatur. In dyſpepſia ergo dejectionum alvi retardatio, partim ex ventriculi in hoc morbo conditione, partim ex fibrarum muſcularium inteſtinorum diminuta actione, oritur. Sed, ſi forte motio periſtaltica deeſt, et, quod temperamento melancholico haud infrequenter accidit, eſt torpor inteſtinorum, vix non ſequi poteſt tarda faecum evacuatio.

Cardialgia—Lingua vernacula *heartburn*, ſenſationem quaſi acrimoniae in cardiam apprime moleſtam apte exprimens, ex atonia ventriculi, qua in gradum fermentationis ſolito majorem ingeſta progrediuntur, oriri videtur. Originem quoque forſan ducit nonnunquam ab aucta cardiae ſenſilitate, ita ut quae, aut non aut vix acidae ſunt, ſenſationem moleſtam et quaſi acrem prebeant.

Cephalalgia et *vertigo*, quoniam iiſdem cedunt juvantibus, iiſdem tribuendae ſunt cauſis. Inter cerebri et ventriculi functiones eſt certe quaedam connexio vi nervoſa innixa. Inde nauſea vel vomitus injurias capitis, itidemque ventriculi ictum ſequitur vertigo, ſaepe mors. Sed leges quibus regitur haec ſympathia, unde ſymptomata de quibus nunc tractamus oriantur, plane ignoramus.

Dolor lateris.—Inter alia eſt hoc ſymptoma

plerumque

plerumque aegro valde amplificatum. Spaſmodicum eſſe videtur, aut forſan ex irritatione nonnunquam oritur.

Dyſpnoea poteſt ab ventriculi inflatione et diſtenſione, exindeque hujus organi in diaphragma preſſione, derivari.

Univerſa debilitas.—In dyſpepſia eſt generalis nutrimenti defectus, quia in hoc morbo concoctionis functionem per ſe perficere nequit ventriculus. Unde deeſt chylus, et a fortiore ſanguis corpori. Unde muſculi flaccidi, ſyſtematis vaſcularis relaxatio et diminuta actio, faciei pallor, et forſan etiam oedema.

Animi dejectio—Nuſquam eſt animi et corporis ſympathia, et quaſi vis reciproca, tam conſpicua quam in dyſpepſia. Sentit quiſque ſanus etiam mutationes, gradu quidem differentes, ſed ex iiſdem pendentes cauſis; cuiquam corpus ala-

cre

cre eſt? Adeſt etiam mens hilaris; ſpirat Eurus? Triſtis fit. Bibit vinum? Fugit moeſtitia. Adhibetur digitalis? Iterum eſt animus dimiſſus. Sed hos ultra effectus indagare haud nobis datum.

RATIO MEDENDI.

Ex ante dictis clare credo poſitum ventriculi debilitate oriri dyſpepſiam; ideoque, in morbo profligando, eſt haec atonia maxime animadvertenda.

Sequentia medendi conſilia Cull. propoſuit.

Cauſas remotas evitare.

Signa quibus maxime augetur morbus laevare aut amovere.

Ventriculi

Ventriculi tonum reſtituere.

Quoniam, cauſis remotis agentibus, minime valet in dyſpepſia medicina, maximi eſt momenti quamprimum cauſas remotas evitare. Nonnullis dyſpepticis ſaepe eſt ex labe haereditaria ventriculi tanta debilitas ut morbum vix evitare poſſint. Sed pleriſque longe aliter accidit, et oriuntur ventriculi affectiones ex repletione nimia ingeſtorum et nimis frequenter repetita, aut, quod forſan ſaepius occurrit, ex neglecta exercitatione. Primo morbi ſtadio ergo, antequam diu praevaluit atonia, ſi ab his caveatur, rariſſime durat dyſpepſia.

Quod ad ſecundum medendi conſilium ſpectat, nempe, quae morbum augeſcunt ut mitigentur, praecipua ſunt, vomitus, aciditas, gaſtrodynia, et alvi conſtipatio. Nonnullum eſſe dyſpepſiae ſignum aegro et medico, vomitu moleſtius, facile intelligendum eſt; quoniam ipſe

maximas

maximas atoniae et debilitatis causas complectitur. Si tamen ex acribus et diu in ventriculo retentis ingestis provenire suspicamur, est forsan vomitorium lene, ut pulv. ipecac. adhibendum.

Ex diuturna autem atonia, et causis immediate excitantibus ignotis, vomitu oriente, opiata aut interne aut externe, vel spiritus vini Gallici, adhibenda sunt; nonnunquam et vesicatorium ad regionem epigastricum applicandum.

Aciditas in primis viis, quum semper originem ab imperfecta concoctione ducat, vix removeri, nisi ventriculi atonia sublata, potest. Tentandum tamen quid ad ingesta attendendo perfici possit. Et inprimis evitanda sunt alimenta vegetabilia, quae fermentationis majoribus stadiis obnoxia sunt; dum contra cibus animalis, ut fermentationi acidae minus propensus adultis, et lac junioribus praebenda sunt. Urgente acidi-

tate,

tate, ſunt quoque alkalina abſorbentiaque utenda. Horum ſolutio cum aëre fixo ſuperſaturata ſaepe maximo cum emolumento uſurpatur.

Quoad potum, obſervandum eſt, omnes liquores debiliores fermentatos evitandos eſſe, cerevisia iſte (*porter* dicta) tamen haud male convenit; inter vina, eandem propter cauſam, ſunt ſortiora tenuioribus ſemper praeferenda, Madeirenſeque omnibus fere aliis. Sunt autem qui omnem fermentationis gradum evitare, aut etiam arcere, varios liquores ſpirituoſos aqua commiſcent, et pro potu communi adhibent.

Alvi conſtipatio omnia dyſpepſiae ſymptomata valde aggravat; eſt igitur ſedulo removenda. Si vero fieri poteſt, ſunt hoc conſilio laxantia mitiora, potius quam purgantia, adhibenda. Ad hunc finem vix aliquid ex materia medica rhabarbaro praeſtantius ſit; dum enim vix purgat, amaritudinem ventriculo inprimis gratam et

quasi tonicam adfert. Si ad haemorrhoidas haud ulla aegro propensitas, et fortiorem desiderat intestinorum conditio catharticum, vidimus aloem valde prodesse. Olea, ut ricini, nauseam inducunt, ideoque sunt rejicienda.

Gastrodynia.—In ventriculi doloribus spasmo ortis, ut plerumque gastrodyniae oriuntur, aromata saepeque maxima stimulantia, ut ammonia, gummi foetidum, moschum, pernecessaria sunt. Horum tamen casibus gravissimis certe longe efficacius opium caute adhibendum est. Nam usu frequente intestinorum atoniam nunquam non auget.

Ad tertium nunc progredimur consilium, nempe, ventriculi tonum et vigorem quasi restituentia.

Tonicorum classis partim ex regno vegetabili, partim ex mineralibus, derivatur.

Inter

Inter vegetabilia, eminet cortex Peruvianus; fed in dyfpepfia, quum in forma folida fermentationem promovet, in tinctura et aromaticis conjunctas, potius quam in pulveris forma, adhibendus eft.

Ex quibus etiam perutilia alia amara, in his columbae et gentiani radices, chamaemeli flores, &c. Eft tamen femper periculi aliquid ne his nimium utendis ventriculus talibus affuetus functiones folitas, his negatis, perfolvi nequeat.

Inter atoniam ventriculi, et quidem totius corporis juvantia, variorum ex ferro praeparatorum virtutes nemo eft qui non agnofcat. Sulphas hujus metalli etiamque zinci multi quoque laudant.

Cupri fulphas quoque in nonnullis atoniae,

ex nimio liquorum ſpirituoſorum uſu exemplis, optimum edidit effectum.

Gratis antiſepticis, leniterque ſtimulantibus, utuntur quoque medici acidis foſſilibus. Inprimis quidem ventriculo gratum eſt acidum ſulphuricum.

Inter tonica, ſed quae totum corpus afficiunt, ſunt lavatio et exercitium numerandae; ſed hoc modicum tamen, et quibus adeſt animi dejectio quo diverſius ſolito, eo melius.

FINIS.